

X 731684

Memoria defunctorum in
sepulchris.

DOMINUM
SEPULCHRO PRODEUNTEM.

Die 4. Maji,
in


AUDITORIO MAJORI,
hora confveta,

animo, stilo, ore celebrantes
ut
benigne & benevole audiant,

Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos ac Fau-
tores studiorum


Officiose & peramanter
invitat

M. GEORGIUS ANDREAS Winhold/ Rector.



CYGNÆ,
Literis Büfchelianis.

51.





Um alia veterum monumenta laude & prædicatione digna sunt: tum imprimis illa, quibus defunctorum memorias posteris commendare, & humanæ conditionis fortem depingere, aut excellentiam hominis amplificare impensius laborarunt. Sepulchra dico, corporum ac reliquiarum receptacula, in quibus extruendis, decorandisque immortalitatis avidi mortales nulli operæ, nullis pepercerunt sumptibus. Non satis erat Aegyptiis, aromatum vi condire mortuorum cadavera, sed mira in super arte involuta in Pyramidibus, vel cryptis perpetuo duraturis, sub terra reponebant, excisis ex vivo alabastro atque inter se junctis cameris, gyrisque viarum Labyrinthi in modum complicatis: ne cæli tempestatibus, aut hominum injuriæ, vel animalium feritati expo-

nerentur: aut temporum edacitati fierent obnoxia. (a) Apparet ex Historia Matthæi, Judæorum sepulchra intra tertam ædificata, arcuato opere, pavimentis strata & circumsepta fuisse parietibus, in quæ, tanquam in cellas quasdam, per gradus solebat descendendi, foribus clausis vel apertis. (b) Lucernas ardentis in tumbis posuerunt Romani. Seu id honoris causa factum: faces enim alias honori inserviebant: seu quia isthoc præmio ornari homines, uti fortissimos athletas, æquum videretur: seu quod supersticio gentium animas corporibus suis terra conditis assidere crederet: vel quia opinio stolidi priscos invaserat, ut sibi persuaderent, sensum adhuc aliquem restare sepultis jam: siquidem & mensam stratam in sepulchris, & dapes appostas invenire licebat: mirum sane, nutriri tamdiu potuisse ignem stupendi cujusdam liquoris beneficio, cujus autorem Boxhornius Patavinum nominat Maximum Olybium. (c) Constat enim vel ex Bernardino Scardeono, cum anno salutis M. D. juxta Atheften, municipium Patavinum, terra à rusticis solito altius effossa esset, repertam (qualem ipse Boxhornius viderat) urnam fictilem, & in ea alteram urnulam, in qua lucerna adhuc ardens fuerat inter duas ampullas, alteram quidem auream, alteram vero argenteam, purissimo aliquo liquore plenas, cujus virtute lucerna illa annos supra mille & quingentos arsisse credebatur, &

nisi retecta fuisset, perpetuo arsura. (d) Mausolo suo ram eximie dilecto Mausoleum erexerat Artemisia, quadratum de pulcherrimo marmore, CXL amplum pedibus, XXV cubitis surgens in altitudinem, XXXVI, cinctum columnis. In angulis murorum & in medio nobilissimæ conspiciebantur statuæ: sicut in summo quadriga marmorea. (e) Exhinc monumenta pretiosa usque hodie Mausolea nuncupantur; postquam & Cleopatra olim jam id nominis usurpavit, (g) & ab Augusti inde ævo Mausolea Cæsarum innovere. (h) Zarinæ, Sacarum Regina, cives propter insignia merita magnificentiam adornarunt sepulchrum, idque Pyramide trianguli formam efficiente, cujus singula latera tribus stadiis proredebantur: altitudo paulatim in arcum deficiens unum complectebatur stadium. Statuam auream huic magnificentiæ abundans amor & pietas addidit, & heroicos honores beneficiorum perceptorum recordatio cumulativè detulit. (i) Vitreumque sepulchrum Alexandro M. Ptolemæus curavit confici: non ut fragile aliquid & breve duraturum, sed eo firmiter permanfurum: quo densior vitri materia parabatur. (k) Quod si sumtuosi apparatus deficerent: inscriptionibus nobilitari volebant decedentium memoriam, In Insula Zincho cum anno M D XLIV, ipsis Cal. Decembr. Monasterii Minoritarum fundamenta jacerent, erutum inter alia sepulchrum est, perverstum & lapideum, hisque insignitum literis: M. TULLI CICERO, HAVE, ET TU TERTIA ANTONIA. Eo aperto, duas urnas vel ampullas intus reperere ex vitro confectas, majorem cineribus, minorem

liquore. (a) Kircher. in Spinge Mystag. l. 1. c. 3. de conditura Ægypt. v. judicium Nephthiz Grew in act. eru dit. Lipf. ad An. 82. Cal Jun. (b) Abr. Sculterus in Matth. c. 25. (c) in quest. Rom. q. 11. (d) de prisicis civ. Patav. (e) Plin. H. N. l. 36. c. 5. Gell. N. A. l. 10. c. 18. Pantiroll. rer. deperd. & Salmuth ad h. l. (f) Isidor. orig. l. 14. c. 11. (g) Flor. l. 4. c. 11. (h) Suet. Aug. c. 100. (i) Diodor. Sic. l. 2. c. 5. (k) Majolus colloq. 19. part. 1.

liquore. (a) Kircher. in Spinge Mystag. l. 1. c. 3. de conditura Ægypt. v. judicium Nephthiz Grew in act. eru dit. Lipf. ad An. 82. Cal Jun. (b) Abr. Sculterus in Matth. c. 25. (c) in quest. Rom. q. 11. (d) de prisicis civ. Patav. (e) Plin. H. N. l. 36. c. 5. Gell. N. A. l. 10. c. 18. Pantiroll. rer. deperd. & Salmuth ad h. l. (f) Isidor. orig. l. 14. c. 11. (g) Flor. l. 4. c. 11. (h) Suet. Aug. c. 100. (i) Diodor. Sic. l. 2. c. 5. (k) Majolus colloq. 19. part. 1.

aqua refertam. Collegerunt presentes viri, illam Ciceronis cineres, hanc amicorum lacrymas continere: cui opinioni fidem fecit, altera fundi majoris inscriptio: AVE, MARC. TULL. (1) Sic milites Gordiano Imperatori apud Circejum castrum in finibus Perfidis fecerunt sepulchrum, adscribentes & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Judaicis, & Aegyptiacis literis, quæ ab omnibus legerentur: DIVO GORDIANO, VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM, VICTORI SARMATARUM, DEPULSORI ROMANARUM SEDITIONUM, VICTORI GERMANORUM, SED NON VICTORI PHILIPPORUM. Quod ideo videbatur adjectum, quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario prælio victus abscesserat: simul etiam quod a Philippis videbatur occisus. Silebo jam formulam solennem: HIC JACET, HIC SITUS EST, quæ olim vel monumentorum frontibus, vel certe columellis inscribebatur sepulchralibus (m) Erat etiam, ubi notæ quædam aut simulachra, quò testator esset memoria, imposita cernerentur. Exemplum hujus rei habemus Archimedes Syracusanum, cujus in cippò sphaera posita cum cylindro. Quæ quidem figuræ Ciceroni occasionem dedere ad investigandum Archimedis sepulchrum, septum undiq; & vestitum vepribus & dumetis. Is cum ad portas Agragianas (ubi magna frequentia sepulchrorum) omnia collustrasset oculis: animadvertit columellam non multum è dumis eminentem, in qua fuerat sphaeræ figura & cylindri. Immissi coram Principibus Syracusanis cum falcibus multi, purgarunt & aperierunt locum. Quo cum patefactus fuisset aditus, accedentibus ad adversam basim apparuit epigramma, ex eis posterioribus partibus versiculorum, quos Cicero in memoria tenebat. Ita ab homine Arpinate nobilissima Græciæ civitas, quondam etiam doctissima, acutissimi civis sui monumentum didicit. Lacedæmonii verò postquam Herculi Nemeæus leo devorasset digitum, digitique execti mox tumulus, cui lapideus leo, roboris Herculei signum, impositus, erigèretur: (n) Leonidæ quoque tumulo imposuerunt leonem, eo, quod leonis instar prouisset in hostem, impetuque animoso Thermopylas admirandaque virtute defendisset; non minori certe fama, quam insidens aquila Aristomenis Messenii & Platonis illustravit sepulchra. (o) Et Erichteum Meursius autor est in sepulchro interfecti hastam fixisse: unde postea usu receptum, uti hastam una afferrent in funeribus occisorum, quam ad locum sepulchræ inceps defigerent (p) Quin imo frequentissime columellas super terræ tumulum in sepulchris statuèbant. Inde est, quod, cum Trajanus solus omnium Imperatorum intra urbem sepeliretur, ossa ejus, ut fertur, sitis est Eutropius, in urna aurea collocarentur in foro, quod ædificarat sibi, columna ibi posita, cujus altitudo CXC. pedes habebat. Tantis studiis antiqui exanima corpora prosequi in perpetuitatem memoriæ voluerunt; pauciter humanæ fragilitatis memores. Etenim Cyri Perfarum Regis corpus in aureo folio collocatum ingenti splendore servabatur in horto longe amœnissimo. Sed lecta in conditorio eo: O HOMO, QUISQUIS ES, ET UNDECUNQUE VENIS (NAM TE VENTURUM ESSE SCIO) EGO CYRUS SUM, QUI PERSIS IMPERIUM PEPERI. NE IGITUR EXIGUAM HANC TERRAM MIHI INVIDEAS, QUAE MEUM CORPUS CONTEGIT, Alexandrum rerum humanarum inconstantiam reputantem moverunt. (q) Eadem ferme commiseratione Matthiæ Corvini monumentum adspexit Maximilianus. Albam Regiam ab Hungaris tum desertam triumphantis specie ingressus Imperator, ædem B. virginis petiit, divi Stephani, Hungarorum Regis, sepulchrum invisurus. Hic forte conspectis Corvini insignibus supra tumulam ejus affixis, cum simul legisset verba, in quibus erat hæc sententia: MARMORE HOC MATTHIÆ CORVINUS SITUS EST, QUEM FACTA DEUM OSTENDUNT, FATA FUISSE HOMINEM, flevisse dicitur, (r) Erat autem summa ratio, ne insepulta jacerent cadaverata, quæ pro religione faceret; in quo quidem hominem sanctum illud animal etiam post mortem extollendum putabant. Namque, mortuò illato,

(1) Joan. Cotovicus itiner. Hierosol. & Syriac.

(m) Jul. Capitol. de Gordiano.

(n) Cic. Tull. d. 32.

(o) Meurs. miscell.

(p) Meurs. d. regn. A. then. l. 2.

(q) Zonar. annal. tom. Arrian. de expedit. Alex. l. 6.

(r) Tubero in Comment. d. tempor. suis l. 3. apud

apud gentiles statim locus sacer fiebat alicui Deo; plerumque vero Diis Manibus. Quam consecrationem solennis monumentorum inscriptio D. M. vel D. M. S. manifeste ostendit. Christianis quoque potiore causam hujusce honoris in religione poni, non obscurum est: non tam quod Deo sacra fieri monumenta velint, quam quod corpus hominis ad imaginem Dei efficti tali cura & custodia dignum existant, maxime propter spem resurrectionis minime dubiam (s) Hæc vero, si suis limitibus se contineat, non improbanda veneratio aptud quosdam in superstitionem degeneravit, dum nescio, quibus ceremoniis & studiis sanctorum corpora prosequi, & vel molestissimas periculosissimasque peregrinationes idcirco suscipere inter officia pietatis referunt. Quanta nonnulli sanctimonia B. Mariam, Joachinum & Annam illius parentes, & Domini nutritorem Josephum excipiant, cordatores, in terram sanctam iter facientes, sunt experti. Haud procul a loca pidationis S. Stephani, ad radicem montis Olivarum templum insigne atque amplum esse, meminuit Cotovicus, sepulchro Virginis Mariæ imprimis memorabile, quod ab omnibus Christianis in summa veneratione habeatur, quoque per gradus marmoreos XLVIII. si descendatur, occurrere ad dextram facellum duabus ornatum aris; ibi ossa Joachimi & Annæ teneri: è regione facellum Josephi extare: utrumque; visitare peregrinos, precesque illic Deo fundere, exofculari altaria, sanctorumque opem ac tutelam implorare (t) Mahometæos quoque idem narrat tempore Baarami, quotannis Mecham usque; ad sepulchrum Mahometis pergere, tanta frequentia, ut circiter sexaginta millia hominum numerentur sæpe, nec Caravannam, ut Turcæ vocant, sed justum potius exercitum, præsertim ob camelorum multitudinem, referre videantur. (u) Ad sepulchrum & Altare S. Ferdinandi Regis Castellæ & Legionis qui offerantur cerei, quæ candelæ, quæ imagines, quæ vestes & tabellæ, quibus vota continentur eorum, qui per intercessionem S. Regis impetraverint gratiam & favorem; cum admiratione adduxit Papebrochius. (w) Si de Christi sepulchro dicere instituerem, longa serie utendum esset, antequam tot Ceremonias oratione possem complecti, Juvat in ista brevitate tantummodo summas rerum attingere. Ubi ad Domini monumentum religiosi veniunt, statim ante ostium genibus flexis, sacrum Christi thalamum salutant foris progredientes; mox Minoritæ hymnum canunt. Tunc Gardianus & peregrini relicis ante ostium calcæis, facellum sacro monumento contiguum introeunt, hic precibus Deo salvatori peractis, lapidem ante monumenti ostium solo affixum, & Angeli post Christi resurrectionem sessione notabile osculantur: dein sacrum accedunt sepulchri Dominici antrum, ubi contemplantes mysteria ibi à Deo Servatore facta orationibus aliquantulum vacant: Minoritis interim concinentibus. Quo facto Gardianus Dominum oratione, ad excitandam pietatem composita, alloquitur; singuli summo cum silentio preces aliquantisper continuant, lacrymis locum rigant, gemitibus atque osculis Salvatoris nostri thalamum ac sanctissimum sepulchrum venerantur. (x) Nobis, quia thura precum omni in loco incendi possunt, non terrestrem, sed cœlestem requirere Hierosolymam propositum est, nec pedibus proficiscendo, ut ait Bernhardus, sed affectibus proficiscendo, nucleum ipsum capere, sequi, consequi, scimus esse pium animæque fructuosissimum. Itaque discipuli nostri

- I. JOHANNES HEINRICUS FRANCKENBERGERUS, Damenis, Christum in sepulchro jacentem,
 - II. JOHANNES GEORGIUS JACOB, Neukirchenfis, Mulieres ad sepulchrum Christi properantes,
 - III. DAVID GÜNTHERUS, Cygneus, Christum è sepulchro surgentem stylo persequitur;
 - IV. JOHANNES CASPAR RASCHKIUS, Cygneus, Christo è sepulchro surgenti gratias ager.
- I. & III. quidem oratione Græca, II. & IV. autem Latina. P. P. Cygneæ d. g. Maji a. 1702.

(s) Prudent. in Cathem.

(t) l.c.

(u) Cotovic. l. c. l. 4. c. 8.

(w) de gloria posthuma Ferdin. c. 10.

(x) Cotov. c. l.

X 2316817

Memoria defunctorum in
Sepulchris.


DOMINUM
SEPULCHRO PRODEUNTEM.

Die 4. Maji,
in
AUDITORIO MAJORI,
hora consveta,
animo, stilo, ore celebrantes
ut
benigne & benevole audiant,

Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos ac Fau-
tores studiorum



Officiose & peramanter
invitat

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ Rector.



CYGNÆ,
Literis Büfchelianis.

51.



Farbkarte #13

B.I.G.

